



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,  
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et  
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>  
Bonaventura <Heiliger>**

**Antverpiæ, 1591**

De vtilitate orationis. Cap. LXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)



populum tuum gentem hanc. Item, Si in- Exod. 34,9  
 ueni gratiam in conspectu tuo Domine, ob-  
 secro ut gradiaris nobiscum & auferas iniqui-  
 tates nostras atque peccata, nosque possideas.  
 Item, Obsecro Domine, peccauit populus tuus Exod. 32,  
 peccatum magnum: aut dimitte eis hanc no- 31.  
 ram; aut si nō dimittis, dele me de libro quem  
 scripsisti. Magna fiducia hominis ad Deum.  
 Non rogat se deleri de libro Dei, sed ea fiducia  
 qua præsumat se non delendum de libro vitæ,  
 petit illud remitti, non dubitans se exaudien-  
 dum, vnde & quod petit impetrauit.

*De utilitate orationis.*

CAP. LXIX.

**V**ALDE autem Deus delectatur in hoc,  
 quod frequenter oratur propter multipli-  
 cem orantis utilitatem: scilicet ut Deo indefi-  
 nēter inhæreat, quod summè est homini utile  
 inter omnia. Iuxta illud, Maria optimā partē Luc. 10,42  
 elegit. Item, ut Dei beneficia multipliciūs ex-  
 periat per multarum precum exauditiones.  
 Item, ut abundantiori affectu deuotionis in  
 amorem Dei excreseat. Ideo benignè proui-  
 det nobis plures orandi occasiones, quibus ad  
 orationem sæpiūs stimulemur: siue pro no-  
 bis ipsis, siue pro aliis orādo; aut pro malis eua-  
 dendis, aut pro bonis assequendis: ut cum affe-  
 ctus deuotionis tepescit ad vnum in alio reca-  
 lescat: sicut ignis subiiciendo ligna quotidie ne  
 deficiat restauratur. Leuit. 6,12 Ignis in altari sem-  
 per ardebit, quem nutrit sacerdos subiiciens Deuotio-  
nis ignis  
perpetua  
oratione  
fouendus.  
 ligna manè per singulos dies imposito desuper  
 holocausto. Ignis iste erit perpetuus, qui nun-  
 quam deficiet in altari. Tu ergo Dei sacerdos,  
 id est, sacris deditus, cum per noctem negli-  
 gentiæ deprehenderis ignem deuotionis in  
 altari



altari cordis tui tepuisse, manè, id est, apparen-  
 te prima lucis cognitione, subiice ligna oratio-  
 nis, diuersis occasionibus quasi adiacentibus  
 variis siluis collecta. Magna silua & abundè  
 ligna supplicationum ministrans, sunt peccata  
 propria, quotidiana & antiqua. Magna silua  
 negligentiae nostrae, & miseriae, & defectus vir-  
 tutum & gratiarum, & vitia tam spiritalia  
 quàm carnalia, & tentationes & varij euentus  
 quibus pulsamur, & incommoda quae patimur  
 vel timemus, vel pro quibus dolemus, tam pro  
 nobis quàm pro aliis quorum miseriis compa-  
 timur. Magnae siluae sunt omnia quae deside-  
 ramus habere, pro quibus omnibus oramus vt  
 impetremus. Similiter omnia beneficia nobis  
 collata, pro quibus gratias agere debemus.  
 Item pro defunctis orare vt à peccatis soluan-  
 tur: & pro gloria sanctorum Deum collaudare  
 multam deuotionis materiam quasi perpetui  
 ignis nutrimenta ministrat, quo suppositi ope-  
 ris holocaustum reddat odorem suauitatis. Af-  
 fectus enim amoris Dei & sancti timoris,  
 cum seruore bonae voluntatis, in spiritu hu-  
 militatis & motu pietatis, & gaudio spei,  
 nunquam debet in corde serui Dei extingui.  
 Ista namque sunt in quibus virtus deuotionis  
 maximè consistit. Semper enim debet meus  
 Deo dedita per aliquam piam occasionem se  
 assuefacere ad Deum erigere, orando, suppli-  
 cando, gratias agendo, laudando pro diuersis  
 causis se omni tēpore offerentibus. Iuxta illud  
 Lucae: Oportet semper orare, & non deficere.  
 Item: Sine intermissione orate, in omnibus  
 gratias agite. Psalm. Benedicam Dominum in  
 omni tempore, &c. Quanto frequentius quis  
 orat, tanto fiet ei oratio delectabilior & effica-  
 cior: & quanto rariùs, tanto insipidior & tæ-  
 diosior; sicut experientia sepe docet. Videmus  
 autem

Gen. 18, 9

1. Cor. 5, 17

Psalm. 33, 9

quomodo

substanti



autem quandoque seculares adhuc in statu peccati positos, ex multo orationis usu magna deuotionis plerūque perfundi dulcedine, quæ licet ex veræ charitatis radice non profluat, ostendit tamen Deus per hoc quàm paratus sit iustis gratiam infundere, si nõ negligat quærere, qui adhuc in peccato positis, sed per orationis studium eius se familiaritati quoquo modo applicantibus suæ dulcedinis experientiam non abscondit. Quid erit fidelibus amicis, si sic se dulcem quandoque Deus exhibet adhuc inimicis? Nehem. Māna tuum nõ pro-<sup>2. Esdr. 9, 20</sup>hibuisti ab ore eorum. De quibus præmittit quòd fecerunt vitulum sibi, & adorauerunt. Quid ergo religiosi excusationis habent prætere, qui diuinæ dulcedinis expertes sunt, quam etiam secularibus si studiosè quæsierint videmus non negari? Vnde beatus Bernardus: <sup>Ser. 57. in Cant. ante med. Simile.</sup> Arguit nos pro certo negligentia & incuria ipsa inopia nostra. ] Sicut fauus sine melle, & murus absque tēperamento, & cibus sine cōdimento: ita vita religiosi sine studio internæ deuotionis. Quamuis plurimi tēporibus istis non solum non sentiant, sed neque curant nec desiderant nec quærunt, imò nec credunt, sed irident & persequuntur in aliis deuotionis gratiam; tamen scire debent, quòd omnis religio arida est & imperfecta & ad ruinam pronior, quæ spiritum diuinæ suauitatis nõ quærat, quæ præcipuum conamen ad orationis studium & internæ puritatis non impendit: in quo expressissimè Spiritus sanctus testimoniū reddit spiritui nostro quòd sumus filij Dei. <sup>Absque spiritu deuotionis & suauitatis, ad quam ducit oratio, omnis imperfecta religio. Rom. 8, 26</sup> Austerā vitam corporalis exercitationis, quasi ad modicum vtilem despiciamus, & ardua pietatis opera actualiter non habemus, sicut olim sancti, qui pro fratribus animas posuerunt, & similia magna gesserunt. Item, sublimia vir-

Z

IUTUM



tutum exercitia pauci habemus: vt eximiae obedientiae, perfectae patientiae, humilitatis praecipuae, & paupertatis extremae. Si ergo istis caremus, & adhuc orationis studium postponimus, in quo gloriari de nostra religione poterimus, nisi fortè de solo nomine & exteriori habitu, & verbis scripturae quae in foliis & in ore magis quam in affectu & opere gestamus?

MAT. 5, 20

Sed nisi abundauerit iustitia vestra (ait Dominus) plus quam Scribarum & Pharisaorum, non intrabitis in regnum caelorum. Pharisei in exteriori apparentia & religionis nomine tantum gloriabantur. Scribae autem in verbis scripturae sibi laudem & nomen magisterij acquirebant. Qui autem tantum verba sectatur, nihil habebit: & qui omnia opera sua facit vt videatur & lauderetur ab hominibus, mercedem non habebit apud Patrem qui in caelis est.

PRO. 19, 7

MAT. 23, 5

Qua ratione studium orationis acquiratur.

Qui orationis studio vult intendere, assuescat primò aliquando orationi vacare, deinde saepius ad orationem recurrere, deinde in oratione persistere diutius, tandem frequenter quantumlibet in oratione incumbere, nec pro fastidio vel leuitate desistere, nisi quando corporis debilitas, vel vrgens necessitas, vel rationabilis utilitas inde auocat, & iterum reuertatur in idipsum: ne per diutinam abstractionem redeat in desuetudinem orandi, & refrigescat affectus. Percurrat quoque singulos modos orandi, & diuersis modis suas petitiones formet, & diuersas petitiones attenter; vt tandem in aliqua deuotionis affectum concipiat, & illi quam diu sibi sapit, inherat. Si autem debilitas capitis vel corporis impedit, tunc breuius & saepius oret, & euagationes mentis cohibeat, & sensus exteriores sub disciplina retineat, & Dei auxilium ad singula humiliter inuocet, & patienter si pro suo voto non succedit assidue,

susti-



sustineat. Ipsa quoque quandoque retardatio proficiendi, est via perfectionis dum humiliat. Et ideo Deus pie cursum nostrum temperat, vt longius procedat, & per hoc melius à superbia defendimur: quia sæpe nimia proficiendi securitas, & feruor continuatus, vires corporis exhaurit.

*De retrahentibus à profectu sine salute.*

CAP. LXX.

**T**RI A sunt quæ maximè à profectu retrahunt, non solū perfectionis, sed etiā salutis, sicut in pluribus experimur: scilicet remissa voluntas, horror difficultatis, diffidentia de auxilio gratiæ diuinæ. Remissa voluntas vult bonum, sed sine conatu laboris: & ideo consuetudo leuitatis citò retrahit eam à proposito proficiendi. Ideo pigra voluntas seipsam rationis instinctu cogere debet, & quasi pigrum animal stimulis timoris, Dei & spe præmij agitare, & violenter impellere. Horror difficultatis, per discretū & assiduum mitigatur & vincitur vsu. Gratia Dei sicut adest incipientibus, ita non deerit proficere studētibus: & utilius est nobis semper timere, ne fortè subtrahatur nobis, vt tanto studiosius eam conseruare laboremus, quàm si certi essemus quòd non perderemus: quia tunc negligentius eam recuperaremus, & minùs proficeremus. Timor enim facit sollicitum & agilem, & securitas plerunque desidem & torpentem. Dominus noluit filiis Israël dare manna simul cum tanta quantitate vt pluribus diebus sufficeret, sed vt singulis diebus colligerent, excepto Sabbato; designans quòd quotidie panem gratiæ & cibum animæ perere debemus, dicentes: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. & qui

Voluntas remissa.

Horror difficultatis.

Exod. 16. 13.

2. 46. 17. 3.